

William J. Mayer

Hodie honoramus magistrorum magistrarumque magistrum, olim praesidem diligentem Societatis nostrae, nunc et in perpetuum praeceptorem diligendum, non solum linguae Latinae ipsius sed etiam docendae huius, maxime dilectae, linguae. Fautor et columen studiorum antiquorum et in hac urbe numquam dormienti et in hac regione semper imperanti,¹ liberalissime nobilissimeque dedit suos labores Societati Classicae huius civitatis, ut praeses scribaque, et huius civitatis concilio de linguis docendis, ut princeps. Confirmavit quoque studia Graeca Romanaque per fines patriae nostrae praeclarissime merentissimeque serviens Societati Classicae quae nostram causam totam suam causam fecit,² et Societati Nationis Nostrae Suadenti pro linguis Latina Graecaque. Apud suam universitatem, cui Cura Futuri est magni momenti,³ fecit discipulas discipulosque causam totam suam, ut cor et anima praeparandorum erudiendorumque docentium doctorumque. Plaudamus igitur William J Mayer

JUDITH P. HALLETT
University of Maryland, College Park

¹ New York's official Latin motto has always been "*Excelsior*"; but it allegedly received its longstanding nickname—the "Empire State"—from our *pater patriae* himself, George Washington.

² The motto of the American Classical League, which recognized William J. Mayer with its *Meritus/Merita* Award in 2003, is *Vestra Causa Tota Nostra Est*.

³ *Mihi Cura Futuri*, motto of Hunter College.

Barbara Pavlock

Ovidius noster, laudans coniugem suam carissimam, scripsit illam suos casus levare, quod praestaret amorem impositumque firmam tueri onus.¹ Honoramus feminam quoque firmissimam atque carissimam, quae non solum scripsit opera docta laudataque de carminibus Ovidii nostri sed etiam diu levavit onera Societatis Nostrae optime scribendo. Vera filia huius excelsioris civitatis, adepta gradum Baccalaureae Artium apud universitatem sequentem rationis viam (post adepta gradum Magistrae Artium apud universitatem studiosam lucis veritatisque) Doctor Philosophiae fiebat apud universitatem conantem docere omnes homines omnes res.² Multos annos ornavit universitatem in alia civitate, illustri propter amorem virtutis libertatisque, quae homines ministros et interpretes

¹ Ovid, *Tristia* 3.4.60–62 *illa meos casus . . . levat! . . . levat hoc: quod praestaret amorem/impositumque sibi firma tuetur onus*.

² *Excelsior*, state motto of New York; Hepomene toi logismoi, "following the way of Reason", Greek motto of Barnard College; *Lux et Veritas*, Latin motto of Yale University; "I would found an institution where any person can find instruction in any study," English motto of Cornell University.

naturae colit, praecipienda amore litterarum Latinarum Graecarumque Britannicarumque.³ Causa artium aluit scientiam, memorans res gestas Societatis Nostrae verbis dignissimis carmine vacuissimisque errore.⁴ Plaudamus igitur Barbara Pavlock.

JUDITH P. HALLETT
University of Maryland, College Park

³ "Virtue, Liberty and Independence," state motto of Pennsylvania; *Homo minister et interpres naturae*, Latin motto of Lehigh University; Ovid refers to himself as *praeceptor amoris* at *Ars Amatoria* 1.17.

⁴ *Causa Artium Alit Scientiam*, motto of CAAS; Ovid, *Tristia* 2. 207 *perdiderint cum me duo crimina, carmen et error*.

David Sider

Hodie celebramus eruditissimum et facetissimum indigenam huius oppidi mirabilis, loci singularis sic suavis ut bis nominetur. Eum salutamus non solum ut virum sapientissimum qui illuminavit scripta sapientium antiquorum sed etiam ut studiosum civem nostrae communitatis classicae, ingentis orbis complectentis amatores amatricesque Graecorum Romanorumque ab sodalicio huius parvae insulae ipsius usque ad societatem philologicam coniungentem terram liberorum domumque fortium cum terra folii acerni. Alumnus et universitatis ubi omnes discunt ut serviant et universitatis in cuius lumine omnes videbunt lumen,¹ docuit apud universitatem profitentem sapientiam et doctrinam, in municipio praeclaro propter clamores ubi diutissime habitavit, et nunc apud universitatem perstantem et praestantem, in municipio illustri propter potionem potentem, ubi vehicula diutius agebat.² Huic Societati serviit magna cum diligentia, olim ut praeses, nunc ut administrator aestimandorum librorum in Mundo Classico, nostris actis quater quoque anno editis. Plaudamus igitur David Sider.

JUDITH P. HALLETT
University of Maryland, College Park

¹ *Discimus ut Serviamus*, Latin motto of City College of New York; *in lumine tuo videbimus lumen*, Latin motto of Columbia University.

² *Sapientia et Doctrina*, Latin motto of Fordham University; *Perstare et Praestare*, Latin motto of New York University.